

A. 1599.

1. Hantfest des Abtes Martin an einen Hradschiner
Bürger. Břevnovs Urbar. f. 71.

2. Rudolphus imperator confirmat contractum initum
inter abbatem Břevnov. et Ioan. Sladowsky ratione villae et
fundorum in pago Bezdiekow. dd. Prag. die veneris, f. s.
Marthae¹⁾ c. 159. arch. Břevnov. B. VI.

(Fortsetzung folgt.)

P. Oliverius Legipontius O. S. B.

Ex fontibus primi ordinis descripsit P. Maurus Kinter.

(Conclusio.)

(Confer fasc. III. h. anni pag. 65 68.)

E literarum commercio inter P. Oliverium et Matthaeum Stehlik, praepositum
Raihradiensem (1744—1749.)

I.

Reverendissime Perillustris ac Amplissime Domine Domine
Domine Praelate et Patrone observandissime.

Peccasse fortasse videbor Venerandissime Praesul! quod
post meum è Bohemia discessum tam diu à scribendi officio super-
sederim. Diuturnioris huius cessationis causae variae fuerunt, eaeque haud
proletariae. Cum enim cursum itineris necdum absolverim, nec metam
plene assecutus fuerim, differendum duxi, donec portum aliquem securum
attigissem. Quid verò moliar, quid intendam, jam ex parte coram ex-
plicui: quibus addo sequentia, me nempe in colligendis Trithemii
operibus, iisque ad novam procurandam editionem digerendis hactenus
curas et studia collocasse: Cum verò ante horum operum Frontispicium
inserenda veniat ipsa Trithemii effigies ex Archetypo depicta, cui
addenda etiam erit ejusdem mortui imago ex ejus Sarcophago disig-
nata, hinc suam Rmam Dignitatem impensé rogatam volui, ut ad per-
petuam sui Nominis memoriam dignaretur has duas Icones aeri curare
incidi per R. F. Carolomannum ut ita haec nova editio tota quanta
appareat Benedictina. Mens verò mea est, opera ista inscribendi
Ser^{mo} Principi Electori Palatino, cuius clementiâ et Benignitate fretus,

¹⁾ Fest. S. M. h. ao. erat die Dominica — hicce forsan post f. s. M., ergo
3. Aug. Redactio.

intendo Heydelbergae ex residuis Mriorum Ordinis nostri praediis atque proventibus Seminarium Benedictinum erigere, ad quod Ordinis Alumni ex Bohemiâ perinde ac ex universâ Germaniâ post absoluta studia scholastica cum bona suorum superiorum venia, dirigi poterunt, ulterius informandi in Polemicis, Iure publico, Historiis, aliisque solidioribus studiis. Huic meo proposito faventes jam conciliavi plerosque Abbates Austriae, Bavariae, Franconiae etc. quos in itinere salutavi... mihiq̄ue blandior fore, ut Rma sua dignitas (cui ratum, pensumque esse solet, quidquid ordini gloriosum) suis gratiis, favoribus ac subsidiis, hoc nobile negotium pro viribus sit promotura. Felicem ejusce propositi successum multum faventes rerum concurrentiae mihi pollicentur; quas inter locum haud postremum tenet paterna summi Pontificis, ejusque Nuntii Apostolici pro decoro et bono ordinis nostri sollicitudo multis jam argumentis explicata et manifestata. Etenim sua sanctitas datis haud ita pridem literis ad suum Nuntium Coloniae residentem omni svadâ iussit cohortandos Germaniae Antistites, ut sibi Em^{um} Ordinis Protectorem et Procuratorem Generalem in Alma Urbe constituerent. Quod negotium strenue urget benefatus Nuntius scriptis ad diversos Abbates Encyclicis hujus tenoris: Prenobilis ac Rm̄e Dñe!

„Plures RRm̄i Germaniae Abbates secum ipsis sedulo reputantes qualis et quantus sit ordo a Divo Benedicto institutus, et ab se professus, facile cognoverunt, illum caeteros omnes hactenus in orbe catholico fundatos, Gloriâ, honore, et virtutibus antecellere. Ex eo etenim saluberrimis equidem et prope divinis exulto institutis, tot continuo prodierunt Viri doctrina et sanctitate mirabiliter praediti, ut pene innumerales existant. Eundem rursus tot Principes, tot Duces, tot Reges, tot denique Imperatores, sceptris abdicatis, Regnorumque depositis gubernaculis, ingressi sunt, ut mirum sit, quod homines hujusmodi sub tanta servire disciplina satius ducere potuerint, quam eorum solis considentes caeteris mortalibus leges dicere. Praeterea, quibus non externis honoribus ditatus atque cumulatus fuit! Locupletissimus sane huius rei testis est ipsa Germania. Et, ut omnes uno verbo complectar honores, nullus tam colendo Ordini defuit, praeter hunc unum, quod in Alma Urbe Româ suae professionis Oratorem non habeat Procuratoris Generalis nomine insignitum, qui negotiorum et causarum Unversum hunc ordinem Germanicum respicientium curam gerat apud S. Sedem, et apud summum Pontificem totius Terrarum Orbis catholici in

Spiritualibus Principem et Caput. Ex quo fit, ut M̄ria Agentibus saecularibus, rerum Germanicarum, eorundemque M̄riorum status penitus ignaris, concredita non parum detrimenti in negotiis suis per saepe ferre cogantur; Quamobrem, ut hisce occurrerent incommodis, iidem supradesignati RR̄mi Abbates collatis inter se consiliis de Procurator Generali Romae constituendo omnes suos impendere conatus deliberârunt. Quid autem hac super se summus Pontifex sentiret, inprimis tentandum censuerunt. Proinde per Rm̄m P. Benedictum Abbatem Gengenbacensem nunc in Alma Urbe residentem hanc quarundam Congregationum intentionem ei aperire fecerunt, et sanctitatem suam quam maxime rogârunt, ut illam non solum approbare, sed et ut Procuratori Generali constituendo consuetas praerogativas ad instar aliarum concedere, ac de Eminent. etiam Protectore praedictis Congregationibus providere dignaretur.

„Summus profecto Pontifex (cui nihil unquam accidere potest optatus, nihil jucundius, quam cum intelligit hisce suis temporibus Religiosos quosdam emergere, qui de ea, quam professi sunt, Religione non propaganda modo, sed et exornanda solliciti sunt) Sanctum hoc et laudabile dictarum Congregationum propositum plurimum in Dño commendavit. Deinde vero non solum ratum habere velle, quidquid fieri possit pro emolumento dictarum Congregationum, est pollicitus, sed eundem praeterea Rm̄m Abbatem Gengenbacensem monuit, ut pro Gloria totius Ordinis Benedictini de Catholica Ecclia adeo bene meriti reliquas Germaniae Congregationes et Abbatias ad accedendum tam profucuo (sic!) et laudabili operi, rationibus satis notis invitaret, easdemque demum ad Unionem pro stabiliendo ex Alumnis Congregationum Procuratore, quocunque modo persuadere conaretur. Hanc igitur Provinciam, cum dictus Rm̄s Abbas Gengenbacensis assumpserit in praesens, Nos quibus Sancitas sua mandavit et jussit, ut omni ei nostram praebemus assistentiam R̄mae Dōm̄i tuae hisce testamur, gratissimum et jucundissimum summo Pontifici futurum esse, si id, quod ipse proposuit, ad effectum perduceretur. Et non id solum, sed quacunque etiam consentaneâ praerogativâ Procurator Generalis constituendus ab eo exornabitur, eximioque semper habebitur honori. Interea autem cum haec testor, eâ demum, qua par est observantia subscribo. Coloniae 22. Nov. 1746. R̄mae P. Observantiss. Servus H. Archi-Ep. Laodic. Nunt. Apost.“

Hanc purpuram panno meo asuendam (sic!) duxi, ut R̄ma sua Dig-

nitatis, quâ Praeses et Visitator perpetuus Congregationis Moravo-Bohemicae, de tam proficuo, nobili, et votis omnium bonorum diu exoptato instituto praevis informatus, majoribus animis illud complecti suosque RRmos CoAbbat̄es ad idem ambabus ulnis amplectendum cohortari dignetur. Nihil enim illustrius, nihil familiae Benedictinae utilius ac gloriosius accidere posset. Quapropter congratulantur boni omnes, opus alias iam tentatum, nunquam vero (quod dolendum) ad effectum perductum, sub clementissimis auspiciis tanti Pontificis Benedicti XIV, qui profectum ac incrementum Religionis nrae Benedictinae tantopere cordi habet, noviter promoveri, sperantes plenarium modo sortiri debere effectum. Siquidem nefas esset et periculum inexpiabile paternae ac clementissimae insinuationi pontificiae obniti vel repugnare velle Censent vero plerique Rmi Abbates (quibuscum hac de re mihi Verba facere contigit) consultum fore, ut pro majori solennitate et rei bene instituendae stabilitate amicabilem quidam Abbatum congressus Fuldae vel Ratisbonae fieret, in quo ageretur non tantum de Eminentissimo Protectore et Generali Procuratore Ordinis per Germaniam constituendis, sed etiam de Correlativo Praeside Principali, sub quo veluti Capite, reliquae Congregationes per diversas Provincias dispersae coadunentur. In iisdem Comitiiis praeter alia gravioris momenti negotia tractandum cum primis dicitant de adjungendo Praesidi Principali Consistorio Ordinis, seu Synedrio quodam, ex Viris eruditione et Virtute claris conflando, qui emergentes difficultates, lites, controversias etc. impartiali iudiciô discuterent, ac debito modo sine strepitu fori terminarent. 2^o. De Archivo communi et aulario publico in eodem loco constituendo, in quo tum privilegia, tum mulctae, tum aliae pecuniariae contributiones statui necessariae adservarentur. 3^o. De aliquo designando Mnrio Musis accommodo, in quo adinstar Congregationis PP. S. Mauri homines in variis scientiis jam exercitati, ceu Veterani Milites, pro conscribendis vel expoliendis lucubrationibus suis quietius cohabitare, et mutuis consiliis ac subsidiis se invicem juvare feliciter possent. 4^o. De erigendo communi Seminario Benedictino, in quo studium Historicum, Dogmaticum, Polemicum, SS. Patrum et Canonum aliaeque altiores disciplinae excolerentur, talesque educarentur viri, qui collapsis rebus ordinis in melius instaurandis invigilarent, et sedulo incumberent. 5^o. De adjungenda huic seminario Missioni Benedictina, quae Catholicae fidei promovendae jugiter insisteret, ac praecaveret, ne ii, qui quaerunt, quae sua

sunt, non quae Iesu Christi reliquam Dni Sortem impune devastent et penitus absorbeant. 6^o. De erigendo in qualibet Provincia Communi studio et Novitiatu, quo magis inter Fratres a teneris formaretur Charitas, doctrinaeque ac morum Uniformitas. 7^o. De edendo Uniformi Breviario Benedictino, et rescindendis novitatibus, aut privatis ritibus et particularitatibus etc. 8^o. De statutis quibusdam condendis ab omnibus subalternis Congregationibus serio et inviolabiliter deinceps servandis. 9^o. De privilegiis, juribus et praerogativis familiae Benedictinae unita manu propugnandis, puta de jure administrandi Parochias; de praecedentia ordinis adversus Canonicos S. Augustini, et alicubi contra Canonicos Cathedralium Ecclesiarum, qui Abbatibus mitratis praecedentiae honorem praeripere jam praesumunt. 10^o. De evetenda lege, ut vocant, Amortizationis, vi cujus Mnra tandem seipsis contabescere debebunt, cum indies in suis dotalibus atterantur, et nulla deinde immobilia reficiendis viribus acquirere possint. 11^o. Quia Mnria ab aliis bonis immobilibus heriscundis praecludere principes tentant, et Monachos ab Administratione Parochiarum deturbare contendunt Episcopi, deliberandum an non et ipsis Actio vel Exceptio de repetundis coram summa sede juste, et cum bono effectu juxta Conciliis Tridentini decreta, intentari posset? 12^o. Cum Episcopi vel certe eorum suffraganei et officiales ingentem subinde pecuniae vim pro Confirmatione et Benedictione Abbatum, contra SS. Canones soleant extorquere, deliberandum quopacto huic simoniae, ne latius serpat, obviandum foret? Haec et alia mihi protinus haud obvia magni sane ponderis puncta prudens nemo non judicaverit digna, quae in aliquo solenni Abbatum congressu serio expenderentur. Verum, quâ ratione id effici queat, in tanta hominum indolis varietate, difficile profecto esset imperiose definire. Fas tamen est animum bene Sanum saturare aut pascere ejusmodi bonarum cogitationum epulis. Hisce inescatu plurimum valeat Rma Dignitas sua, ac me constanti suae Benevolentiae commendatum habere dignetur. Dabam ex Schwarzacensi ad Maenum apud Francones Coenobio die 21. Martii Divo Patriarchae Benedicto sacra A. 1747.

Reverendissimae Perillustris ac Amplissimae Dignitatis suae

Servus et Cultor deditissimus et observantissimus

P. Oliverius Legipontius,

Coenobita Bened. p. t. Disibodibergensis Abbatiae praefectus.

P. S. Si me Suis sponsoriis beare placuerit dirigantur Wirtzburgum addendo Mnrium Münster Schwartzach.

II.

Reverendissime, Perillustris ac Amplissime Domine
Domine praelate et Patrone observandissime!

Diu est quod stimulus, nescio quibus, continuo agitatus ad R^{man} suam dignitatem concitus mente advolo, aut tacitus scripturio, cunctatione tamen illiberali testudinum gressus prope imitatus, dum de die in diem lentius progredior, eo longius ab officii metâ recedo. Nunc quietis nonnihil nactus, exsolvo fidem, quam suae R^{mae} Dignitati valedicens obstrinxi, didacticaque mea cogitata per literas communico. Post meum e Gottwico discessum, peragrata inferiori Austriâ tandem Cremifanium delatus, illic paulo diutius substiti, allectus tum loci amoenitate, cum etiam colendissimorum inquilinorum humanitate, ac denique pollicitis, nescio quibus, inescatus, de honorificâ quadam professorâ in Nobilium collegio consequendâ. Inde cum aliquibus professoribus Mellicum, ubi sarcinulas meas deposueram, regressus, illic iterum vltra octiduum moram traxi, anceps num Vindobonam invisere, an vero superiores Danubii oras relegere deberem. Oblatâ haerenti occasione Lincium versus, eâ utendum ratus illuc me rursus contuli, scriptisque ad Cremifanensem Oeconomum literis, ipsum rogabam ut de categoricâ Excellentissimi Dⁿⁱ Abbatis resolutione me certiore reddere dignaretur. Accepto inde responso, quo significabatur suam Excellentiam gratum quidem ratumque habuisse meum in neo-nascentem academiam affectum, decidere tamen pro hîc et nunc nil voluisse vel potuisse, donec clarissimi p. Anselmi Desing consilia audivisset, ruptâ morâ aliam quercum excutendam duxi, ac formato edendorum operum Trithemianorum conceptutypisque evulgato conspectu, huic deinceps provinciae literariae excolendae totum me addixi. Lincio itaque Passavium profectus, ibidem salutavi clariss. d. nostrum Collegam p. Anselmum Desing in Episcopali residentia Musinantem, a quo peramanter exceptus, ei res meas patetice proposui, atque his eidem commendatis tertio post die Ratisbonam versus iter relegere coepi, literis a benefato nostro collegâ ad celsissimum principem Sant. Emmeramensem exaratis pro comitivâ sti patus. Hic loci vltra mensem substiti, inde Monachium digressus, ac rursus Ratisbonam regressus, quo e loco ineunte Novembri Norimbergam me contuli, indeque Bambergam petii, ubi in Monte Monachorum S. Michaëlis coenobio, describendis aliquot opusculis ineditis distentus

vsque ad 12. Xbris moratus fui. Bambergâ Herbiopolim iter meum relegi, atque ad S. Jacobi Scotorum coenobium (hîc sepultus jacet Trithemius) me contuli, vbi hiemante coelo, exscribendis et colligendis aliquot Trithemianis lucubrationibus eâ sedulitate incubui, ut morbum vix non contraxerim. Rebus ibi ex parte confectis discessum cum pararem, invitatus a R^{mo} D^{no} Abbate Schwartzacensi ad moenum, illum me contuli, hoc in loco paulo diutius moraturus, quod et meae sanitati, viribusque ex itinere attritis nonnihil reficiendis aurae temperies et occupatio in adornandâ et ordinandâ Bibliothecâ plurimum conferant, et loci R^{mus} Antistes literarum ac litteratorum eximius cultor mihi summopere favere, atque conatibus meis juvandis opem omnem ferre contendat . . . Quapropter nisi agendorum ratio, vel obedientia alio me evocaverit, hic sedam figere lubens volensque statuerem. Venim ad alios labores brevi me advocandum praevideo. Etenim Reverendissimus Abbas Gengenbacensis, meus quondam amicus et fautor colendissimus, qui me vivum jam inter mortuos crediderat, nuper inopinato de meo ex Bohemiâ reditu edoctus, prolixè ad se invitavit. Quid intendat, quid moliatur vir ingenii politi, judicii subacti, prudentiae ac modestiae praeter genium ejus generis, bona pace paucis edisseram, quae ex ejus epistolis didici. Româ nempe digressurus (ubi per aliquot annos in negotiis sui Monasterii cum Episcopo Argentinensi substiterat) a summo pontifice in suo recessu, tantâ gratiâ, tantâ benignitate, tam beato affatu, exceptus fuit, ut vniversus ordo Benedictinus in orbe teutonico diffusus exinde haud leve decus et ornamentum sit accepturus, si modo, quod speramus, benefati Abbatis intentioni, et summi pontificis clementissimae insinuationi sese accommodare voluerit. Mens vero et voluntas Suae Sanctitatis eo collimat, ut ordo Benedictinus per Germaniam in varias Congregationes dispersus, communi voto sibi Eminentissimum protectorem et procuratorem generalem in almâ vrbe Româ constituent (sic). Quod negotium strenue promovet, non modo altefatus Abbas Gengenbacensis, sed etiam Nuntius Apostolicus coloniensis, cui Sanctitas sua mandavit et jussit, ut omnem ei praeberet assistentiam. Sanctum hoc et laudabile propositum plures jam Congregationes ambabus vlnis complexae sunt, nec dubito quin alma vestra vniô Bohemo-Moravica idem consilium sit initura. Scripsi hac de re ad R^{mu} D^{nu} Visitatorem, ut opus tam proficuum reliquis RR^{mis} suae provinciae Abbatibus proponeret, omnique suada ad illum amplectendum eos cohortaretur. Idem apud suam R^{mam} dignitatem

repeto et enixe obsecro, ut pro posse negotium tam salubre, tam necessarium, ac augendae firmandaeque gloriae Benedictinae, rebusque ordinis in melius restituendis adeo conducibile aliis coabbatibus suis commendare, promovendum insinuare, et stabiliendum dicitare dignetur. Censent vero plerique RR^{mi} Antistites (quibuscum hac de re mihi verba facere contigit) consultum fore et congruum, ut pro majori solemnitate, majorisque erga sanctam sedem venerationis contestatione et firmiori rei bene instituendae stabilitate, amicabilem quidam Abbatum congressus Fuldae, vel Ratisbonae fieret, ad quem vnus saltem ex quâlibet provinciâ Abbas nomine reliquorum compareret. In his vero comitiis non tantum de Eminentissimo protectore et generali procuratore ordinis per Germaniam constituendis, sed etiam de correlativo praeside principali eligendo et suae Sanctitati praesentando, nec non de aliis rebus publicum ordinis statum concernentibus collatis mutuo suffragiis ac consiliis agendum dicitant. Nisi enim in Germaniâ constituatur praeses ejusmodi, sub quo veluti capite principali reliquae Congregationes subalternae per diversas provincias dispersae coadunentur, facile totius corporis compages iterum resolvetur: praesertim cum in tantâ varietate hominum indolis et inclinationum vix possibile sit ad vnâ eandemque sententiam omnes inclinari. Etenim:

Cuique suum caput est, ut pileus. Approbat Hermes,

Improbat Hermannus, nec mens est omnibus vna.

Sed de his alii judicent. Res meas quod attinet, totus in eo sum, ut excitem RR^{mos} DD^{nos} Abbates Germaniae ad erigendum commune aliquod Seminarium Benedictinum, ad quod melioris spei alumni ex Bohemiâ perinde ac ex vniversâ Germaniâ, post absoluta in suis monasteriis vel lycaeis studia scholastica, dirigi poterunt vltius informandi In polemicis, dogmaticis, historiis, jure publico, ss. Canonibus, aliisque solidioribus disciplinis. Huic meo proposito faventes iam conciliavi plerosque abbates Austriae, Bavariae, Franconiae et caeteros, quos in itinere meo salutare datum fuit; Nec dubito quin sua R^{ma} dignitas (cui ratum, gratumque et pensum esse solet, quidquid ordini gloriosum est, atque ad studia in eo promovenda conducit) suo annutu, suisque gratiis, favoribus ac subsidiis, hoc nobile negotium pro viribus sit promotura, aliisque commendatura. Quo autem in loco erigendum sit ejusmodi seminarium, cum a RR^{morum} Abbatum dispositione maxime dependeat, definire nequeo:

Dicam tamen quod sentio. Cum nempe ordo noster in palatinatu Rheni maxima in turpi religionis discidio damna sustinuerit, pluraque monasteria sibi in eâ regione inique subtracta et abrepta queratur, e quorum bonis saginantur haeretici, aliique seculares, ac etiam religiosi alterius ordinis praesertim Ignatiani, vnitis viribus collaborandum esse censeo, ut serenissimi principis Electoris annutu, et summi pontificis auctoritate (uti in Bohemiâ factum memini) ex singulis monasteriis ordinis nostri ab haereticis male desolatis certa pecuniae quota erigendo Heydelbergae (ubi est Vniversitas) memorato seminario vindicetur, et perpetuo ad sustentationem alumnorum deputetur. Multa sane concurrunt quae ad hoc propositum feliciter exequendum facere videntur. Etenim prope Heydelbergam duo vel tria fuerunt ordinis nostri monasteria olim celeberrima ac opulentissima, de quibus in meo monastico Moguntiaco nominatim Art.: *Abrinsbergense*, *Neoburgense*, *S. Stephani* etc. pluribus egi. Cum autem istud Seminarium sit deinceps serviturum universo ordini Benedictino, spes haud vana mihi injicitur, fore ut RR^{mi} de instituti ratione, utilitate, et honestate plenius instructi, liberalius subsidia ad illius erectionem necessaria sint collaturi: Necesse enim est eum facere sumptum, qui quaerit et sentit commodum. . . . Verum postquam de protectore et procuratore ordinis negotium fuerit confectum, haec et alia non minoris momenti consilia feliciorem sortiri poterunt successum. Quod si haec mea intentio cum aliis evanescat irrita, haec tamen mihi reliqua erit consolatio, quod teste Salviano: *Mens boni studii et pii voti, etiamsi effectum non invenerit coept operis, habet tamen praemium bonae voluntatis.* In hoc animi solatio hanc epistolam finio, atque R^{mae} suae dignitati, R. p. priori omnibusque colendissimis sodalibus me plurimum, meumque propositum commendans, apprecor felicia festa paschalia et gaudiosum alleluia. Ita vale prae ceteris, o rerum Tu grande decus columnenque mearum! Dabam in Schwartzacensi apud Francones Monasterio die 22. Martii A. 1747.

Reverendissimae perillustris ac amplissimae dignitatis suae

Servus et Cultor observantissimus

P. Oliverius Legipontius,

O. S. B. coenobita, ss. theol. Licent.

P. S. Si me aliquo responso beare voluerit, placeat dirigere literas per Nurimbergam et Kitzingen in Münster-schwartzach . .

III.

Reverendissime, perillustris, ac Amplissime D^{ne}
Domine praelate Gratosissime!

Redux e Silesia Olomucium, animo quidem constitueram illicò Rayradium per transennam proficisci, quo meae observantiae pensum R^{mae} Dignitati vestrae ac Colendissimis DD. Confratribus praesens decenti veneratione persolverem, et de rebus tum meis, tum pie defuncti clar. nostri Collegae P. Magnoaldi Ziegelbaur prolixius agerem. Sed cum ill^{mus} Comes de Giannini corde sub ambeso virus, nescio quod, alens, novas mihi tricas e tricis necteret, diesque solutioni salarii, itinerique meo constitutos falleret; meus ex hâc vrbe discessus necessario fuit prorogandus, ne aere meo exciderem, et post factas graviores expensas vacuus recedere cogerer. Tum vero optatus interea advenit perillustris D^{ns} Baro de Petrasch ex suâ arce campestri in urbem regressus, qui me primo affatu statim in locum defuncti P. Magnoaldi, Societatis Incognitorum, cujus praeses est, secretarium designavit. Quam spartam sane honorificam cum bonâ meorum Superiorum veniâ in me recipere, ac certis de causis saltem ad tempus pro virili excolere constitui. Quia vero hospes ego et advena his in oris, sudas sum in oculis multorum, proindeque velut signum ad sagittam expositus; meque ea, quae nuper cum defuncto P. Magnoaldo contigerunt, merito terrent, et cautius mercari docent; hinc supplex ad Reverendissimam Dignitatem Vestram accedo, eamque submissâ, quâ par est, animi devotione impensius obsecro, quatenus me inter suos recipere, et ad professionem manualementalem in suo Monasterio, meliori et convenientiori, quo judicaverit modo, saltem ad tempus, quo hîc moratus fuero, benigne admittere, ac suae protectionis praesidio tueri dignetur, ut ita vicinae ordinis nostri Abbatiae adscriptus, ora loquentium iniqua obstruere, invidis et aemulis validius obviare, caputque a periculis et malevolorum insidiis salvum retrahere possim, ac praecavere, ne res meae, casu quo Deus (in cujus manibus sortes meae) ex hâc mortali vitâ me avocaret, in rapaces manus extraneas deveniant, sine vllâ spe evictionis, prout eheu! contigit nostro Confratri praelaudato, cujus supellex literaria, me incassum hactenus reclamante, a petrinis et malevolis sociis viâ facti detinetur, non sine gravi jacturâ et ordinis nostri praejudicio. Quam ob rem Vestram insuper R^{mam} dignitatem enixe ac submisso rogo, ut mihi per aliquod speciale rescriptum in commissis dare dignetur jus et facultatem agendi nomine vestri Monasterii (ac si eidem incorpõ

ratus et adscriptus fuisset pie defunctus) pro vendicandâ et heriscundâ eius supellectile literariâ, quae adhuc ab aliquo petrino detinetur obsignata, ut ait, a consistorio. His munitus mandatoriis memoriale aliquod supplex praesentabo Consistorio, ut mihi reliqua extradantur eius Manuscripta et opera tum perfecta, cum etiam inchoata et delineta, quae duodenarium numerum superant; praecipua vero sunt: 1. Rabani Mauri Commentarius in Danielelem prophetam. 2. Olmucium sacrum. 3. Collectio Epistolarum Asceticarum a Benedictinis patribus conscriptarum. 4. Meditationes in Regulam S. Benedicti. 5. Infulae doctae per Germaniam. 6. Sacrae Eremitae per Europam. 7. Epistolae Dionysii exigui ad Stephanum Episcopum. 8. Historia Monialium O. S. B. 9. Historia de particulâ S. Crucis in Augiâ divite adservata. 10. Vita Margarethae de Cruce. 11. Mitleidende gedencke von Heiligen Joseph etc. Quae nisi eâ, quâ memini, viâ revendicentur, nobis intercident, et ad exteros devenient.

Quapropter pro gloriâ et decore ordinis, ac defuncti ornamento, ejusque Nominis splendore Vestram R^{manu} dignitatem instantissime obsecro, ut mihi hâc in re pro posse et nosse, suae autoritatis praesidio adesse, ac petitam a me receptionem in vestrum gremium benevole concedere dignetur, Ero semper, quem habuistis, ad omnia, quae a me unquam proficisci poterunt, officia promptissimus. Fiduciâ itaque constantis gratiae, benignitatis, favorisque vestri fretus, votis ad Deum, ceu gemmâ epistolam consigno, ad R^{mae} Dignitati vestrae, totique venerabile vestro caetui felicia festa adprecans, superos rogabo ut novo instanti anno compluribusque aliis subsecuturis bene ac prospere valeatis, meque vestrum in omni veneratione, dum spiritus hos reget artus, constanter permansurum existimetis. Dabam Eburi Moravorum die 9. decembris 1750.

Reverendissimae dignitatis vestrae Cultor devotissimus

P. Oliverius Legipontius

O. S. B. ad S. Martinum Coloniae professus. ss. Theol. Licentiatus.

Zur Trithemius-Literatur.

Die kritischen Organe gestehen zu, dass sowohl die Silbernagel'sche als Schneegans'sche Monographie über den berühmten Abt Joh. Trithemius nicht genügen. Erfreulich kam die Nachricht, dass der erste beider Autoren die zweite Auflage seiner Arbeit vorbereite. Wir möchten der Ehre theilhaftig werden, das Unrige zu einer möglichst vollständigen Arbeit beizutragen und geben in folgendem die in unserer Mappe ruhenden Notizen.